

72

FAVENTE DEO!

DISSERTATIO ACADEMICA,

DE

OPHIOLATRIA GENTILIIUM,

QUAM,

Annunte Amplissima Facult. Philos.

PRÆSIDE

CAROLO FRIDERICO MENNANDER,

S.S. Theologiæ DOCTORE, Scientiæ Natur. PRO-
FESSORE Reg. & Ord. PASTORE in Rändämäki,
& Reg. Scient. Acad. Holm. MEMBRO,

Horis diei XV. Decembr. a. m. solitis,

Anno MDCCLII.

Publico bonorum examini modeste submittit

LAURENTIUS POPPIUS, *Abrah. Fil.*

WIBURGENSIS.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB, MERCKELL.

J. C. Coetzee

S:æ R:æ M:it:is

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

**DN. JOHANNI
NYLANDRO,**

S. S. Theol. *Doctori* longe celeberrimo, inlytæ Dice-
ceſeos Borgoënsis *Episcopo* eminentiſſimo, ejusdem
Conſistorii Eccleſiaſtici *Præſidi* graviſſimo, & Re-
gii ibidem *Gymnaſii Scholarumque* per totam Dice-
ceſin *Ephoro* accuratiſſimo.

MÆCENATI MAXIMO,

Nomen Tuum longe celeberrimum, reverendiſſime
Pater, levidenti huic de opiolatria gentilium ex-
ercitio meo præſigere cur auſus fuerim, in promtu
ſunt rationes graviſſimæ, quarum principem facile
ſibi

sibi locum vindicat ingens Tuus in literas & literatos favor, quem omnibus sponte Tua & facilis impertiris. Ad hunc & ego tanto confidentius confugio, quanto majora gratia & benevolentia Tuæ documenta in paternam domum meam exflare voluisti. Serena itaque fronte hanc venerabundi animi tesseram, ad aram gratia Tuæ delatam, licet ab ea eruditione, quam Tuus exigit conspectus, longissime absit, respicere ut digneris, Reverendissime Præsul, est, quod humillime contendo. Summum Numen ardentissima prece semper sollicitabo, velit Te, Reverendissime Pater, in seram conservare ætatem, omnique felicitatis genere beare! Sic gratulabitur sibi Diæcesis Borgoënsis de præsidio firmissimo, Familia Tua Nobilissima de solatio exoptatissimo, & denique clientes Tui, quorum in numerum me etiam adscitum habeas, de Mæcenate desideratissimo. Ita vovet qui ad cineres erit

REVERENDISSIMI NOMINIS

TUI

Clens devotissimus,
LAUR. POPPIUS.

VIRO

Maxime reverendo atque amplissimo,

**DN. GABRIELI
FORTELIO,**

S. S. Theol. *Doctori* celeberrimo, *Dieceseos* Borgo-
ensis *Archipræposito* gravissimo, Ven. *Consistorii* Ec-
clesiastici *Adfessori* primario *Æquissimo*, *Ecclesiæ* urbis
Borgoënsis & ei annexæ *Antistiti* vigilantissimo.

MÆCENATI MAGNO.

O*B. Favorem. Singularem. Et. Beneficia. Longe. Ma-
xima. In. Se. Et. Suos. Collata. Leve. Hoc. Et.
Ne. Argumenti. Quidem. Nobilitate. Commendabile.
Studiorum. Specimen. In. Perpetuum. Humillimi. Gra-
tissimique. Animi. Documentum. Cum. Voto. Calidissi-
mo. Pro. Perenni. Tua. Nobilissimeque. Familia. Pro-
speritate. Sub. Humillima. Ulterioris. Obtinendi. Fa-
voris. Spe. Devota. Mente. Offert.*

MAXIME REVERENDI NOMINIS TUI

Cultor humillimus,
LAUR. POPPIUS.

VIRO

Admodum reverendo atque præclarissimo,

**DN. ABRAHAMO
POPPIO,**

Antifiti ecclesiarum, quæ Christo in Joccas Savolaxiorum colliguntur, longe meritissimo, & adjacentis districtus Præposito dignissimo, Parenti suo indulgentissimo, &, qua filium decet, reverentia adcineres usque colendo.

S*ic tandem se mihi exoptatissima obtulit occasio, carissime Pater, gratum animum erga Te declarandi. Jubet enim hoc veneratio, quam Tibi summam debeo; jubet cumulus beneficiorum Tuorum inde a vite exordio in me collatorum, qui longe major est, quam ut a me mente concipi aut verbis exprimi, nedum levi hoc munusculo aut quacunque alia ratione compensari queat. Casum ergo foret eorum præconia angustis his pagellis includere; sed cum Te, Pater carissime, dixero, omnia simul beneficia, quibus*

quibus unquam affici potest filius, una includere
necesse est. In signum autem animi gratissimi
primitias has studiorum meorum, de parte qua-
dam gentilitiae impietatis, Tibi, piissima devotis-
simaque mente & manu venerabunda, offero. Be-
nigne igitur accipias, Parens indulgentissime, o-
pellam hanc, ceu mea in Te ad urnas duratura
gratitudinis tesseram. Quae quamvis levior sit,
quam ut respondeat Tuis in me beneficiis; istam
tamen levitatem votorum gravitate compensabo.
Servet Te supremum Numen in illam aetatem,
quae humani aevi longissima est, salvum & in-
columem, morbos & incommoda, quae Jene-
ritatem plerumque comitari solent, a Te longe repel-
lat, Tibique valetudinem pristinam clementer resti-
tuat, eandemque firmam & omni felicitate orna-
tam, in Ecclesiae commodum, & nostrum, qui Tui
sumus, gaudium ac solatium reddat; donec finitis
hujus aevi incommodis in aeterna migres gaudia!
Quod constanter vovet

INDULGENTISSIMI PARENTIS

Filius obedientissimus,
LAUR. POPPIUS.

VIRO admodum reverendo atque præclarissimo,

Dn. MARTINO MARTINIO,

Ecclesiarum, quæ in Hauho, Luopiois & Tulois Deo colliguntur, Pastori longe meritissimo, adjacentisque districtus Præposito vigilantissimo, accuratissimo, avunculi loco atatem venerando.

VIRO præclaro & percelebri,

Dn. Mag. PETRO NAPPENIO,

Lingvarum in Regio Gymnasio Borgoënsi Lectori meritissimo, ibidemque Consistorii Adfessori gravissimo, avunculi loco perpetuo colendo.

B*eneficia vestra, Patroni & Promotores exoptatissimi, quæ mihi & domui paterne abunde præstitistis, id suo quodam jure requirunt, ut tenues hasce ingenii primitias nominibus vestris inscriberem & consecrarem, ac simul gratum in Vos testarer animum. Accipite itaque serena fronte munus hoc chartaceum, quod vobis sacratum volui, cum votis pro Vestra diuturna atque perenni incolumitate assiduis.*

NOMINUM VESTRORUM

Cultor humillimus,
LAUR. POPPIUS.

VIRO plurimum reverendo atque præclarissimo,
Dn. Mag. ABRAHAMO POPPIO,
Pastori in Jorois dexterrimo, Fratri suo carissimo.

Plurimum reverendo atque præclarissimo VIRO,
Dn. JOHANNI SCHVINDT,
*Pastori Parœciæ St. Andreæ meritissimo, contangvineo
nullo non tempore colendo,*

VIRO plurimum reverendo atque præclarissimo,
Dn. JOHANNI HOFFREN,
*Pastori Ecclesiarum, quæ Deo in Sordawala colliguntur,
meritissimo, affini suo exoptatissimo.*


VIRO plurimum reverendo atque præclarissimo,
Dn. Mag. HENRICO POPPIO,
Vicario Pastori dignissimo, Fratri suo dilectissimo.

VIRO perquam reverendo atque doctissimo,
Dn. JOHANNI MECHÆLIN,
*Sacellano in Joccas optime merito, ut antea Studiorum
meorum moderatori solertissimo, ita nunc affini
carissimo,*

S*pecimen hocce qualecunque Academicum Vobis, Fratres & Affines optimi, ex sincero fraterni amoris affectu, in grati animi documentum certissimum, cum indefesso voto pro constanti vestra salute prosperitateque, dat, dicat atque dedicat*

NOMINUM VESTRORUM

Cultor observantissimus,
LAUR. POPPIUS.



I. N. J.

§. I.



Nter opera divina, quæ
singula summam ac in-
finitam conditoris omni-
potentiam ac sapientiam,
pleno quasi ore deprædi-
cant atq; enarrant, homo
præ ceteris eminet. Ete-
nim eo nihil est præstan-
tius, nihil excellentius.

Habet ille corpus erectum, admirandæ structuræ, &
membrorum omnium concinnitate conspicuum. Habet
simul animam, omnis materiæ expertem, ad cu-
jus binas facultates, intellectum & voluntatem, in pri-
ma creatione accedebat inæstimabile depositum, imago
Dei. Hæc omnia hominem, mundi materialis &
immaterialis centrum & compendium, ad summi
Numinis perfectiones cognoscendas celebrandasque
naturum

natum factumque esse evidentissime ostendunt. At quamvis homo adeo excellentibus naturæ dotibus ab initio instructus fuerit, non tamen in statu hoc felici diu permansit. Nam post horrendam & lacrimis nunquam satis deplorandam in horto deliciarum factam prævaricationem, totius naturæ vitiositatem, & sibi & posteris omnibus, contraxit. Quo factum est, ut ad deteriora semper proni mortales a recta unius veri Numinis cognitione & cultu toto cælo aberraverint, &, innumeram Deorum multitudinem introducendo, impuris ac horrendis sacris sese misere inquinaverint. Superest quidem in homine jam lapso cognitio Dei naturalis. Hanc in eum imprimis finem Deus in illo reliquam esse voluit, ut omnes omnino gentes Conditorem benignissimum, ope hujus notitiæ cognitum, colant ac glorificent, utque, cum hujus solo beneficio in Dei salutarem cognitionem eniti possimus minime, eum ulterius inquirendi & cognoscendi ex lumine illo revelato, quod mox post lapsum hominibus concessit Divina bonitas, occasionem habeant. Sed dolendum, gentes non solum neglexisse usum notitiæ hujus naturalis pædagogicum, sed etiam eoque ratione abulas fuisse, ut in maxime detestabilem idololatriam fuerint prolapsæ.

§. II.

Hinc imprimis pro duplici illo, quem in mundo compererant, effectu, totidem etiam posuerunt principia, bonum unum, alterum malum, utrumque

que autem pari vel suppari honore coluerunt, & illi, ut bonum consequerentur, fecerunt sacra, huic vero ad malum averruncandum. Deinde spiritibus etiam ministris, & genis cultus decernebatur, qui majora majoraque cepit incrementa. Heroibus quoque vel vivis vel animis mortuorum religiosus exhibebatur cultus, cum aliqua tamen graduum differentia; ita ut Dii majores essent, quos publica auctoritas consecraverat & in Deorum adsciverat cœtum, minuti autem vel penates, qui in certa aliqua familia vel urbe colebantur. Neque heic subiticit gentilium dementia; nam naturæ quoque corporeæ cultus Divinus offerebatur. Et primo quidem ad fulgorem solis occæcabantur eorum mentes, ejusque veneratio adeo longe lateque extendebatur, ut vix ulla mundi gens ab eo exstiterit immunis. Hinc etiam non olim modo *Macrobius* (a) sed etiam recentiorum aliqui contenderunt, diversas solis virtutes Diis reliquis nomina dedisse, eosque fere omnes ad solem referri posse. Sunt etiam, qui Othinum majorum nostrorum, qui in mythologia Eddica monoculus dicitur, non alium esse volunt, quam solem, universi hujus oculum unicum, quem cultum postea Odinus Asiaticus in se transtulisset. Sed etiam lunæ reliquisque stellis, terræ frugiferæ quoque & elementis Divinus cultus assignabatur; neque enim igni, aquæ, aëri, sui deerant cultores. Imo, postquam in religionis negotio a recto tramite semel deflexum fecerunt, per abrupta ab

uno vitio in alterum fuere gravius prolapsi, & in talem errorum abyssum detrufi, ut neque mente neque ratione amplius uti videantur. Eo enim demum infaniæ gentes variæ processerunt, præsertim illæ, quæ in constituendis sibi Diis erant fœcundissimæ, ut in animantium genera etiam abjectissima, in lapides & plantas, cultum religiosum derivaverint. Quem in Ægyptiis ridet *Juvenalis* (b):

*Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa. Nefas illic fœtum jugulare capella.*

De gentilibus itaque jure asserit Apostolus (*), quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudines imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum, & reptilium. Nihil enim tam absolum, nihil in natura tam monstruosum, nihil inter animalia tam ferum & contemptibile, nihil in rebus inanimatis tam ineptum, quod non aliquis populus luxurianti veneratione suspexerit. Inter animalia vero, quæ objectum cultus sui hi bipedum omnium stultissimi constituebant, erant etiam serpentes & amphibia, imo hæc præ animantium ceteris, licet adsit heic nocentissima illa animalium classis, quorum vel ipse horrendus adspæctus perniciem hominibus minari videtur. Mihi in præfentiarum cum cultum hunc serpentum inter gentiles paulo propius considerare sit animus, tuum, candide

candide lector, favorem, qua par est observantia, sollicito.

(a) *Saturnal. lib. I. c. 17.* (b) *Sat. XV. lib. V.*

(*) *Rom. I. 23.*

§. III.

In symbolica veterum doctrina erat serpentis figura variarum rerum imago, præsertim apud Ægyptios, a quibus hieroglyphica docendi ratio late in alias gentes manavit. Ita ævum pictura exprimere volentes, serpentem pingebant, cujus cauda reliquo involvebatur & tegebatur corpore. Mundum etiam per serpentem, variis interstinctum squamis & suam ipsius caudam rodentem, designabant. Serpentis quoque effigies in hieroglyphicis pro bona fortuna, prudentia, calliditate, sanitate, &c. haud raro sumitur (c). Potissimum autem erat serpens antiquo illo ævo religionis symbolum, & qui cultus prudentioribus primitus erat symbolicus, is simplicioribus ac rudibus proprius est factus. Hinc in nummis plerisque, ubi solus comparet serpens, hieroglyphicam divinitatis figuram exhibet. In locis sacris etiam ejus effigies vel in januis & parietibus ficta, vel in tabula depicta appendebatur, ita ut sine his effigiibus consecrata hæc superstitionis domicilia non crederentur. Quo tendunt hæc *Persii* (d):

Pinge duos angues: pueri, sacer est locus.

Excogitatam vero volunt hanc picturam eruditi, partim ad terrorem, ne quisquam profanus accederet, cum serpens tale sit animal, quod nemo

non

non fugiat; partim etiam ob visum acutissimum, quo serpentes valere credebantur, præsertim dracones, quorum denominationem *πράξις τὸ δέξασθαι* plerique deducunt, unde etiam hi thesaurorum custodes multis gentibus habebantur; partim etiam ad ostendendam divinitatis vel genii præsentiam, cum angves potissimum sacra essent, & numina genique locorum per illos, ex veterum superstitione, apparuerint. De angve ex Anchisæ tumulo prorepente dubitantem Æneam introducit *Virgilius* (e):

*Incertus, geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.*

Hinc etiam reges Ægyptii coronis suis pictam gerebant aspidem, ut augustiores viderentur & sacri. Raræ quoque sunt Deorum vel Dearum effigies, quibus aliquando annexa non esset serpentis imago. Ita comparet is in sceptro Jovis, in caduceo Mercurii, in Ægide Palladis, & ita porro. In primis erat hoc animal Ifidi & Osiridi, reliquisque divinitatibus, quibus orgia celebrabantur, dicatus; hinc etiam bini eorum currum Vestæ semper vehunt. Singulariter autem Æsculapio sacer judicabatur, qui gestabat baculum, cui circumvolutus erat serpens, quique sub serpentis etiam figura colebatur. Ipsi etiam torquem ex draconibus oblatum legimus in inscriptione quadam ad urbem Reggientem: *Deo. Æsculapio. Val. Symphorus. Et. Protis Signum. Somni Æreum. Torquem. Aureum. Ex. Dracunculis. — Ob. Insignem. Circa. Se. Numinis. Ejus. Effectum.*

Num. *Tylia* quoque sive *salus* fingebatur fuisse *Æsculapii* filia, quia eam præstet medicus. Hæc sub forma mulieris exhibebatur, in folio sedentis ac tenentis pateram. Prope eam vero adstabat ara, cui impositus angvis caput attollens. In initiationibus porro erat serpentum usus, nam initiando figura angvis per sinum ducebatur. De qua re *Arnobius*:
 (f) *In sacris & ritibus initiationis, quibus Sebadiis nomen est, alii malunt hic legere Sebasiis aut Sebaltis, aut Sebaziis, quæ sunt Jovis apud veteres cognomina, aureus coluber in sinum dimittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus, atque imis.*

(c) *Conf. Caussini hieroglyphica, de Symbolica Ægyptiorum sapientia* t. m. 19. seq. & *Vossium de origine & progressu idololatriæ, libr. IX, p. m. 823. seq.* (d) *Sat. l. v. 113.* (e) *Æneid. libr. V, v. 95.* (f) *Libr. V. adv. gent.*

§. IV.

In sacris *Bacchi*, & forte in mysteriis præterea aliis, serpentes etiam offerebantur, iisque coronabantur sacrificantes, atque coronati *Ivan* clamabant. Exhibet *Saubertus* (g) nummum oblongum, in quo conspicitur sacrum *Bacchi*, & caper, gratissima *Liberi* hostia, stat ante focum calentem; a latere vero visitur persona sacrificans, angvem supra ignem protendens. Hos serpentes suos mordendo *Bacchantes* contecisse colligunt aliqui ex illo *Aurelii* loco (b):

Baccho

*Baccho caper omnibus aris
Ceditur, & virides discindunt ore chelydros.*

In fracto quodam sepulchri marmore, quod hodie in templo Bacchi extra portam Viminalem in via Numentana exstat, exprimitur etiam Bacchantium turba, angves ore gestantium, & caprum ducentium. In variis quoque templis, ut Vestæ, Dæ salutis, Æsculapii, & plerisque illis, quæ oraculis erant inclyta, vivi serpentes asservabantur, qui, si narrationibus veterum est fides, absque periculo contrectari potuerunt, cum fuerint vel natura sua mites, vel venenum illis ademptum, iique cicures redditi. Perhibent varii auctorum (i), qua ratione Æsculapius fuerit Romam accersitus. Cum enim ingens pestilentia urbem & agros infestaret, libri Sibyllini remedium ejus mali hoc dederunt, ut ab Epidaurum Romam transferretur Æsculapius. Missi itaque legati in Epidaurum, qui ab incolis humanissime excepti & in templum Æsculapii perducti, angvem, quem pro Æsculapio Epidauri coluerant, sponte ad Romanorum navem pergentem, Romam vexerunt, ubi templo condito coli cœpit. De Heliogabalo quoque narrat *Ælius Lampridius*, quod Ægyptios dracunculos Romæ habuerit, quos illi agathodæmones compellant. Non autem solos Ægyptios, verum etiam Phœnices serpentem dæmonem felicem appellasse, testis est *Eusebius* (k). Sunt etiam mythologicarum fabularum plurimæ, in quibus serpens, veluti heros comœdiæ, theatrum occupare conspi-

conspicitur. Occurrit ibi angvis Python, eumque interficiens Apollo; Cadmæi fratres e dentibus viperinis enati; Cadmus & Hermione in dracones conversi; binos angves & septemcipientem hydram interimens Hercules; horti Hesperidum & aureum vellus vigili dracone custodita; aliaque his similia. Taceo incantationum genera, quæ circa serpentes potissimum exercebantur, quibusque illi vel e cavernis educi & in unum locum congregari, vel fugari, stupefieri & a veneno expurgari credebantur, aut illi etiam sanari, quos morfu læsit serpens. Quo fascino integræ gentes, non Marfi modo & Psylli, sed etiam Ægyptii, Nigritæ, Indi, Peruani, alique perhibentur infames (l). Superesse etiamnum in Ægypto apud certas familias rusticorum & propagari vipersas domandi absconditum artificium testis oculatus fuit b. D. Hasselqvist (m), qui animalia hæc præsentissimum venenum foventia, dentibus magnis non exemptis, impune nudis manibus protrahi & contrectari pluries vidit. Rogati autem de arcano hoc suo, non nisi superstitiosa quædam regefferunt, vero procedendi modo manente abscondito.

(g) *De Sacrificiis veterum*, p. 532. (h) *Libr. contra Symm.* v. 129. (i) *Valerius Maximus, Livius, Florus, &c.* (k) *Præpar. Evang. libr. I. c. VIII.* (l) *Conf. Bocharti Hierozoicon lib. III. c. 6.* (m) *In actis Soc. Reg. Scientiarum Upsal. ab A: no MDCCXLIV. ad MDCCCL. N: o 9.*

§. V.
 Vel ex iis, quæ jam allata sunt, constare potest, cultum serpentum fuisse Aegyptiis familiarem. Crocodilum illis creditum sacrum, testatur insuper *Herodotus* (n): illi vivo cibaria accommodata ac sacra offerri, eumque, ubi mortem obiit, sale conditum, facris in urnis sepeliri. Tradit etiam de iis ex *Phylarcho* *Ælianus* (o): aspides ibi *μιάσαι ισχυρῶς*, vehementer coli. Idem auctor est (p), thermuthim ex aspidum speciebus potissimum fuisse illis celebratum, ipsi exstructas in sacris ædibus ad unumquemque angulum cellas subterraneas, ubi alebatur, bubulo adipe certis intervallis ei objecto. Quod Græci & Romani hac inquinati fuerint idololatria, res est eo minus dubia, cum utrique hi fuerint in novorum Deorum cultum pronissimi, maximamque eorum turbam cumulaverint. Et illis quidem non grave fuit colere quidquid in orbe numinis crederetur; hi autem, magnæ orbis partis domitores, non exterorum modo Deos admittebant, verum etiam, ut Romam migrare vellent, cupide invitabant. Hinc Deorum quoque statuas & aras triumphos eorum quandoque sequutas legimus. Ad alias itaq; gentes jam conversi, ut monstrosa atque abominanda alia multa in earum cultu religioso animadvertimus, ita etiam multas earum serpentes, vel natura ipsa repugnante, demisso cultu fuisse prosequutas legimus, quod adductis nonnullis ex qualibet orbis parte exemplis ostendum jam erit, Indis serpentem ut numinis symbolum fuisse cultum tra-

dit *Maximus Tyrius* (*q*); & esse illos hodiernum ophiolatricæ deditos testantur variorum itineraria. De Babylo-
 niis nota omnibus est illa draconis & Beli historia ex
 scripturis apocryphis, ubi veræ ac falsæ religionis in-
 genium, hujus videlicet pudendæ artes & confusio
 probrosissima, illius vero proba simplicitas & victo-
 ria splendidissima, vivide exhibentur. Aliæ iti-
 dem gentes, ut Phœnices, Mesopotamii, Arabes,
 apud auctores hujus cultus serpentini reæ aguntur.
 (*r*) Neque in vastissimo Sinensi imperio detunt
 serpentibus sui cultores. Illi enim, quos idolum Fo
 habet adoratores, ipsum in varia animalia transmi-
 grasse credunt, potissimum vero in draconem, un-
 de sub hujus forma in templis eorum exhibetur &
 colitur. Profunda etiam naturæ, qua laborant, i-
 gnorantia varias supersticiosas opiniones per diver-
 sas illorum sectas dispersas peperit, potissimum au-
 tem ab imaginariis draconibus sibi bona vel mala
 parari somniant, & Fong schvi, aëris corruptionem
 aliâque mala endemia, imposita tecto draconis fi-
 gura rictu hiante, arceri credunt (*f*). Multus etiam est
 usus draconum pictorum vel cælatorum in palatiis,
 vestibis, porcellana, reliquisque utensilibus omnibus
 ipsius imperatoris Sinensis; qui tamen hodie magis
 politicus, armorum & insignium loco, quam super-
 stitiosus esse videtur.

(*n*) *Libr. II. c. 51.* (*o*) *Libr. XVII. de Ani-*
mal. c. V. (*p*) *Libr. X. c. XXXI.* (*q*) *Disert.*
XXXVIII. (*r*) *Conf. Seldenum de Diis Syris. l. II.*

c. ult. & Rosæum de religionibus mundi, p. II & (s) Allgemeine historie der reisen zu wasser und lande / t. VI. libr. XV. c. V.

§. VI.

Africa, ut serpentes maximos & perniciosissimos alit, ita ophiolatriam fuisse ejus incolis satis vulgarem testantur historici. De Pnyllis perhibet *Plinius* (s), quod liberos genitos protinus objecerint serpentum sævissimis, eoque modo pudicitiam conjugum fuerint experti, cum adulterino sanguine natos læserint. Ad novum etiam orbem transfretavit hæc circa serpentes superstitio. Peruani enim, ut *Josephus Aosta* auctor est, coluere iridem, eamque cum duobus a latere serpentibus effingere soliti fuere, & tam his quam reliquis illius orbis gentibus divini quid serpentibus inesse fuit creditum, cultusque illis oblati, ne damni quid inferrent. Mexicanos quoque & adjacentes alios populos varios monstrosarum figurarum Deos coluisse idem perhibet, & unum principalem, manu tenentem baculum in serpentis effigiem formatum (t). Hodie- num multi Americanorum, quibus prittina est feritas, serpentum figuras vel pigmentis vel incisio- nibus superinductas corpori suo gerunt. Serpen- tum etiam exuvias & reliquias in præstigiis & ve- neficiis eorum adhiberi, illisque incantatores capi- ta & ventrem cingere in itinerariis perhibentur, ita ut bacchantium turbam veterem & capita Medusæ plane

plane referant. Eadem etiam superstitione laborare dicuntur Americani meridionales, quæ Indianis erat familiaris, ut nimirum lunam, dum patitur luminis deliquium, a dracone quodam eam devorare cupiente in periculo constitutam credant, quem itaque tympanorum tonitu, saltationibus & querulis clamoribus fugare conantur. De Huronibus quoque memoriæ traditum legimus, quod humani generis ortum tribuant feminæ cuidam Ata Entsic, quæ e cælis fuisset ejecta, & avia facta Dei Tharonhiaouagon, qui beneficus esset, illa autem serpentibus & veneno victitaret, sanguine humano delectaretur, & inferorum esset regina (u). In Calumeto quoque pacis Americanis usitato singularem adesse convenientiam cum caduceo Mercurii alato & serpentibus obvoluto veteris orbis gentilium, idem, cui priora debemus, auctor prolixè conatur evincere. (x) Relationi etiam Celeberr. Dn. Profess. *Kalm* debeo, quod Americani septentrionales serpentes, & potissimum viperas caudifonas, nimio in pretio habeant, & nec ipsi vim illis inferant, nec ab aliis inferri patiantur; atque si fortuito contigerit, ut telo ejusmodi animal lædant, tum arcum illum aut scopulum nulli amplius usui idoneum judicent. Quid? quod quidam insuper horum serpentem quendam eligant, cui cultum, Deo solo debitum, tribuunt.

(s) *Libr. VII. c. 2.* (t) *Historie Naturael en Morael van Vest-Indien, V. libr. c. 5. 9.* (u) *Allgemeine*

gemeine geschichte der Länder und Völker von Aues
 r ca 1. theil / 3. Hauptstück. (x) 9 Hauptstück.
 §. VII.

Sed redeamus ad Europæos nobis propiores. Non desunt testimonia, Sarmaticas Scythicasque gentes itidem ophiolatriæ litasse. De Samogithis refert *Sigismundus* Baro in Herberstein (y), quod serpentes quosdam, givoites illis dictos, tanquam penates domi suæ nutriant, eosque ad appositum cibum prorepentes cum tota familia timore quodam venerentur. Quod si adversi quid illis acciderit, serpentem Deum domesticum male acceptum ac saturatum esse illos credere. Addit idem historiam, quæ in Lithuania contigit. Fuit quidam serpentis cultor ad Christianismum, utque serpentem, quem colebat, occideret, perductus. Aliquanto post os hominis aurium tenuis fuit diductum. Causam mali interrogatus respondit se, quod serpenti manus nefarias injecisset, ad piaculum expiandum luendamque pœnam, hac calamitate puniri, multaque graviora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Similem in Russiæ variis regionibus circa serpentes obtinere superstitionem, inter alios *Strahlenbergius* ostendit. Polonis fertur draco olim sacrificiis quotidianis pecorum & interdum hominum cultus, quem a duce Craco interfectum perhibetur (z). De Borussia antiquis testatur *Erasmus Stella* (aa), nulla eis sacra aliquamdiu fuisse; tandem in eam deductos insaniam, ut serpentes, feras & arbores religiose colerent.

Van-

Vandalos quoque serpentes larium loco habuisse, illisque religiosum cultum exhibuisse, vel ex aureo illo cornu 1639. ad Tunderam reperto comparet, in cujus primo circulo exhibentur serpentes varii, ab hominibus adstantibus genuflexione & manuum elevatione honorati. (bb). De Livonibus & Estonibus tradit *Adamus Bremensis* (cc), illos serpentes & dracones adorasse, illisque etiam homines litasse, quos a mercatoribus emebant, diligenter omnino probatos, ne maculam in corpore haberent.

(y) *Inter rerum Moscoviticarum auctores*, p. 84.
 (z) *Munsteri Cosmogr. Libr. IV. c. 58.* (aa) *De antiquitatibus Borussæ, init. l. 1* (bb) *Conf. Arnkiel singulari de hoc cornu tractatu, & ejusd. Cimbrische Heyden Religion; c. VIII.* (cc) *Historie Ecclesiasticæ, c. 224.*

§. VIII.

In Mythologia nostra veteri occurrit Jormungandur, vel angvis Midgardicus, circa omnes se extendens terras, & appropinquante mundi clade convolvendus; quæ de circulis astronomicis explicant aliqui (dd). Ut animæ immortalitatem, geminumque ejus statum post hanc vitam credebant prisce hyperborei, ita malos ad tartara detrudendos perhibebant, ubi Nastrandii, venenati fluminis fluctibus obruendi, & in habitaculo spinis serpentinis contexto stygii draconis Nidhuggeri viperinis moribus dilaniandi forent (ee). Taceo illa, quæ in antiquis monumentis de Odino, puncto temporis se in angvem transmutante, & in remotas transvolante regiones

giones (ff), aliisque draconum & monstroforum serpentum apparentiis, de draconibus item abditorum thesaurorum custodibus, qualem thesauris præfectum dæmonem, Cratti, etiam Finni coluere (gg), haud infrequenter commemorantur, quibusque omnibus a populo rudi facilis adhibita fuit fides. Perhibet etiam de septentrionalibus *Olaus Magnus* (hh), quod serpentes ut sacros coluerint, ædium servatores atque penates eos existimantes. Et alibi (ii) de domesticis serpentibus loquitur, ut penates in aquilone reputatis, qui lacte vaccino vel ovino nutriti, cum infantibus sub tectis ludunt, quos lædere pro piaculo existimatur. Dolendum vero magnopere est, sub hac divinitus nobis concessa luce reliquias superstitionis illius culturæ apud rudem plebeculam nondum esse penitus sublatas, vel enim ex angvis Cæcilie contrectatione singularem pecudibus suis fortunam sibi pollicentur earum custodes (kk); vel reliqua etiam fata sua secunda vel adversa a natricibus torquatis in stabulis boum & hypocauftis hospitantibus pendere credunt, hinc vicissim suarum esse partium existimant, cibos his laribus suis apponere, illosque ab omni læsione immunes conservare; vel etiam cantilenis morsus serpentum venenatos aut impediri aut sanari posse garriunt.

(dd) *Gudmund. in Lex. Isl.* (ee) *Volusha, Stroph. XXXVI. & LIX.* (ff) *Sturbonidis Dngl Sag. c. VII.* (gg) *Bångii Hist. Eccles. L. VIC. VI.* (hh) *Iust. gent.*

septentrion. Epit. Libr. III. (ii) Libr. XIX. c. XXIX.
 (kk) *Linnei Öländska och Gotländska resa/ p. 326.*

§. IX.

Non itaque mirum est, pestilentissimam hanc
 superstitionis auram ab ipso infernali genio orbi
 ethnico afflatam miseros homines a saniori Dei cul-
 tu remotissimos occupasse, cum etiam multos, ut ut
 ad pulvinar veræ ecclesiæ constitutos, penes quos
 tamen tenuis est veri Numinis cognitio, hac per-
 versitate deceptos animadvertamus. Erant olim in-
 ter Judæos serpentine, qui serpente æneo, quem
 erexerat Moses, qui pro memoriali miraculi fuerat
 asservatus, abutebantur, cultum & honorem divinum ei
 exhibentes; quare contritus & abolitus est iste ser-
 pens ab Hiskia (*). Hinc facile apparet, quid
 censendum sit de Pontificiis, qui de hoc serpente
 tanquam singulari & venerabili thesauro sacro, ho-
 dierno adhuc die superstite, gloriantur. Mediolani enim
 in templo S. Ambrosii palam æneus quidam serpens
 hoc nomine ostenditur (//). Addunt tamen cau-
 tiores, non esse quidem Mosaicum illum, ut qui ab
 Hiskia fuerat comminutus, sed alium quendam, ad il-
 lius figuram, & ex eodem, quo Mosaicus, ære con-
 flatum. Quod si de genere metalli intelligatur, ad-
 mitti quidem potest; si in specie de illo ipso ære,
 unde parabatur Mosaicus, superstiosum est. Unde e-
 nim his reliquiæ istius æris? Perhibent de prisco il-
 lo serpente Judæi (mm), Hiskiam comminuisse il-

lum in pulverem, & in aërem sparsisse (*nn*). Fuere etiam primis Christianismi seculis cogniti e Gnosticorum cohorte hæretici quidam, qui tamen jam ante natiuitatem mundi Salvatoris, auctore Euphrate, Judæo quodam in Persia, perhibentur orti, quique Ophitæ ideo dicebantur, quod serpentem paradisiacum, tanquam bonum quendam genium, qui primos humani generis parentes ad gnoscin Dei, ceu gnosticorum antesignanus, perducere voluisset, cultu submisso & infelici superstitione fuerunt prosequuti. Mendacium itaque personati serpentis impudentissimum, Gen. III. 5. hi pro veritate adoptarunt. Horum illi, qui Christiani dici voluerunt, testibus *Augustino* & *Epiphano*, Christum ipsum sub serpentis specie coluisse dicuntur, & simul vivum habuisse serpentem, quem venerabantur & alebant, atque ad benedicenda eucharistica sua introducebant (*oo*).

(*) 2. Reg. XVIII. 4. (*nn*) *Car. Sigonii hist. de regno Italiae, lib. VII.* (*nn*) *In Talmud, tract. de Idololatria, fol. 44. col. I.* (*oo*) *Conf. von Mosheims geschichte der Slangenbrüder, §. XIV. seq.*

§. X.
 Cur autem serpens fuerit pro divinitatis symbolo gentilibus adoptatus, & honores etiam divini illi attributi, illius rei causas varias adducunt varii. Ita hoc a cæcis gentibus factum volunt aliqui ob serpentum naturam velocem & igneam, quod non
 exteri-

exteriorum membrorum ope, ut in ceteris fit animantibus, sed virtute spiritus intus latentis impulsus summa cum celeritate progrediatur, inque varias se torqueat formas. Præterea etiam, quod ad grandem pervenire ætatem creditus fuerit, imo exuviis positus, quotannis rejuvenescere. Ad hæc visus etiam judicatur idoneum symbolum supremæ providentiæ, cum acute adeo crediderint eum videre (pp). Ob hanc etiam causam Æsculapii baculo circumvolutum judicant serpentem; illud nimirum indicare, nihil medico vigilantius & perspicacius esse oportere; & ob hanc visus excellentiam dracones pariter fuisse constitutos thesaurorum custodes, ubi vigilantia opus (qq). Sunt vero viri eruditissimi, qui ostenderunt, priscos illos fabularum architectos e scriptoribus sacris multa esse mutuatos, & sub spurcis his involucris comparere tamen aliqua antiquæ veritatis lineamenta. Præsertim *Huetius* (rr) prolixus est in eo, ut ostendat, Mosén sub Diis gentilium omnibus, & sub Deabus conjugem ejus Zephoram, latere & adumbrari. *Vossius* itidem (ss), multis adductis argumentis, & instituta factorum comparatione, ostendere conatur, Bacchum Indicum fuisse eundem cum Mose, & in illius fabula multa observari ex hujus historia descripta. Quod idem, licet per omnia cum *Vossio* non faciat, novis tamen utriusque convenientiis stabilitum ivit *Bochartus* (ss). Et hi quidem ophiolatriam gentilium, & potissimum illam ejus partem, quæ in ori-

giis & Liberi sacris obtinuit, respicere volunt illam historiam, quæ Numer. XXI. legitur, ubi Deus populo Israëlitico serpentes immisit ignitos, qui multos necabant; pœnitentia autem ductis Moses jussu Dei serpentem erexit æneum, quem qui conspicerent, sanitati redderentur. Id largiendum est, convenientiam, quam detexerunt acute admodum maximi hi viri inter historiam Moses & fabulam Bacchi, esse omnino insignem. Ita Bacchus a nonnullis fingitur in Ægypto natus, statim arcæ inclusus & aquis impositus; idem *διμήτωρ*, forma præstans, in Arabia educatus, & bello clarus, perhibetur, & feminas habuisse in exercitu. Orpheus eum *μίσσην* & *θεσπεφόρον*, legiferum appellat, illique tribuit *διπλακα θεσμοῦ*, quasi duplices legis tabulas. Bicornem etiam vocat, qualis pingitur Moses, ex loco Exod. XXXIV. 29. perperam accepto. In Euripide Bacchas etiam aquam e petra thyrso percussa educere, & terram, quacunque illis est iter, lacte, vino & melle fluere refertur; ut alia brevitatis studio missa faciamus. Quidquid tamen sit, & licet obveniant multa, in quibus fabulatores ad Moses historiam videantur alluisse, concedit nobis ipse *Bochartus*, non tamen omnia posse ad illum referri; sed occurrere etiam varia, sub quibus aliorum historiae, ut Noæ, Abrahami, Josephi, &c. potius dici possent latere. Neq; verisimile est, Mosén, virum tam multis nominibus Phœnicibus & Ægyptiis odiosum, potuisse pro Deo beneficio ab illis coli, aut cultum serpentum a serpente

pente æneo Mosaico adeo late per orbem propagari, ac propagatam vidimus ophiolatriciam, & serpentum in orgiis usum. Nobis itaque, licet nostrarum non sit virium, tantorum virorum sententiæ obstrepere, jure tamen meritoque, dum ophiolatriciæ latissime per orbem integrum ab antiquo inde tempore sparsæ natales sunt indagandi, altius omnino, idque ad ipsos humani generis parentes, ascendendum videtur. In lapsu nunquam satis deplorando Eva per serpentem a diabolo obsessum decipiebatur. Historiam hujus, quam sibi contraxerant miseræ, non dubium est, primos parentes ad posteros suos traditione propagasse; quæ deinde, diaboli astutia, fabulis ita interpolabatur, ut serpens, odii & detestationis humanæ merito objectum, ipsiusque infernalis genii symbolum, divinitatis & cultus religiosi objectum redderetur. Suppetit etiam nobis testimonium *Clementis Alexandrini* (tt), qui Evasma Bacchantium Evam, per quam peccatum in mundum intravit, respicere, ideoque etiam adhiberi in mysteriis serpentes sacros, contendit. Dum itaque in orgiis Bacchicis, referente *Ennio*:

— Evan, Evœ, Evœ, Evius,

Ignotus juvenum catus alterna vice

Inibat alacris, Bacchico insultans modo;

Hæc Evam manifesto videntur concernere, & esse epinicia victoriæ supra humanum genus reportatæ, quæ per occæcata mancipia sua & propria
miseriæ

miseriæ applauditentia, cantari fecit diabolus. Compellabatur etiam in evasmate Bacchantium Atte, quæ perinde ac Homeri Ate, & Huronum in America Ara, Evam respici non plane inepte quis contenderet. Orgia quoque matris Deorum, Vestæ & Cybeles, cum Eva congruunt, quæ omnium viventium & terricolarum fuit mater. Pariter illarum Divinitatum, quæ mortales agriculturam docuisse perhibentur, ut Cereris, Iſidis & Osiridis orgia, & earum quoque, quæ inferis præesse credebantur, ut Hecates & Proserpinæ, non incongrue Evam referunt, quæ omnes illos, quibus in sudore vultus jam colenda terra, peperit, quæque per peccatum morti in mundum viam patefecit. Sunt etiam mythologicarum fabularum variæ, sub quarum peplo hæc eadem Evæ & lapsus historia abscondita latere videtur. Ita Pandora primam mulierem *Hesiodo* fingitur, quam singuli Dii donis suis ornaverunt, cuique tradebatur pyxis, cui omne malorum genus inerat, qua aperta terra morbis calamitatibusque replebatur. Python, serpens miræ magnitudinis, qui nomen arcessere videtur ab Ebræo פיתן, quod cognationem habet cum verbo פתה, perſvasit, illexit, decepit, Latonæ immissus fingitur, nullam ei concedens quietem, quo progeniem ejus devoraret; & hic de insidiis Evæ a serpente structis explicari potest. Cecrops vero, a quo institutum matrimonium, quique biformis traditur, hominis pariter ac draconis figura præditus, quod ex bono ferus factus fuerit, Adamum quasi adumbrat. Pos-

sent

sent his plura alia addi, si id pateretur instituti ratio. Facile vero apparet, diabolo, magno illi draconi & serpenti antiquo (*), nihil fuisse gratius & acceptius, quam quod miseros mortales eousque occaecare potuit, ut ipsi illi organo, quo adeo foede primis parentibus, & universo generi humano illuserat, divinos honores decernerent, utque per serpentes, scorpiones, & hujusmodi alia, quæ Salvator in secula benedictus vocat *δύσαιν τῶ ἰχθῆρῶ* (**), infelicissimæ idololatriæ tot gentes potuerit irretire.

Quo vero longius gentes a cognitione veri Dei remotas vidimus, & quo magis Satanæ variis horrendisque illusionibus obnoxias; eo intensiores Numini gratias agamus pro immensa sua misericordia, quod, discussis tenebris istis densissimis, cœlesti luce sua in melius nos erudire voluerit, & *τῆ πειροπλῆ αὐτῆ* contra astutiam diaboli serpentinam munire. A Dei & salvatoris nostri Jesu Christi, Solis justitiæ & capitis serpentini contritoris, religioso cultu nec vita nec mors, nec quidquàm aliud nos revocet aut dimoveat. Hunc filiali amore, timore, obsequio prosequamur. Huic preces nostras, huic nosmet ipsos vivas hostias offeramus. Huic in sempiterna secula sit honor & gloria!

(pp) Vossius, l. c. p. m. 778. (qq) p. 813. (rr) Demonstr. Evang. prop. IV. c. 30. (ss) Libr. 1. c. 30. p. m. 84. sq. (ss) Geographiæ sacræ part. II. Lib. I. c. 38. (tt) in Protrept. p. 9. (*) Apoc. XII. 9. (**) Luc. X. 19.

MONSIEUR,

Pour ne point laisser passer d'occasion, qui se présente de vous donner quelques preuves d'une sincere amitié, je prens la hardiesse de me mettre aujourd'hui au nombre de ceux, qui viennent rendre justice à votre mérite, & en même tems vous féliciter sur les belles qualitez d'esprit, dont le bon Dieu vous a si abondamment favorisé.

La belle dissertation, que vous allez publier un de ces jours, & dans la quelle vous êtes occupé à montrer l'Ophiolatrie des Payens, est d'une telle solidité, qu'elle témoigne suffisamment, que vous, après avoir jeté un heureux fondement à la sagesse, n'avez pas épargné aucune peine de cultiver, & d'user, & d'entretenir les excellens talens, dont la nature & votre industrie vous ont voulu orner.

C'est donc, cher ami, avec un vrai plaisir, que je me joins à cette heure aux applaudissemens du public, & vous souhaite du fond de mon coeur une recompense, qui puisse répondre à vos assidus travaux & à votre diligence infatigable. Ce sont les voeux ardens de celui, qui se fera un mérite d'être,

MONSIEUR,

Votre très-humble & très-obéissant
serviteur,

GUSTAVE STARCK.